

8808

17679.

S P E C I M E N
CONTINENS

CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
DE
FALSA PRAESVM TIONE
LIBERTATIS RVSTICORVM
A CENSV ET OPERIS

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

S O C I O

IN AUDITORIO PETRINO

DIE I. APRILIS ANNO CICCI CC LXVII.

P V B L I C E D E F E N D E T

CHRISTIANVS FRIDERICVS
GLASEWALD

D R E S D E N S .

L I P S I A E

LITTERIS VIDVAE LANGENHEMIAE.



DE
FALSA PRAESUMTione
LIBERTATIS RVSTICORVM.
A CENSV ET OPERIS.

§. I.


Antiquam quondam Germaniam in quaque
Gente, quae eam incoluit, tres incola-
rum ordines habuisse, *nobiles* videlicet,
ingenuos et *seruos*, autor est TACITVS *de Mor. Germ.* vi-
cissitudinibus vero variis superuenientibus *burgensem rusti-*
corum-

A. 2



corumque ordo superuenit. Non iam de ordine burgen-
sium quidquam agam, nec in tempus, quo ordo rusticorum
origines cepit, inquiram; satis erit de ipsis primordiis ordi-
nis huius aliquas et potiores tantum quasdam disceptationes
afferre, quae ad eam, quam exponendam dubiam quaestio-
nem sumsimus, pertinent. Rustici Germaniae homi-
num genus sunt, quod agro colendo reique pecuariae cu-
randae deditum; et cum in his studiis tractandis vel do-
minio alterius subiecti sint corpore, vel non, inde alii
serui sunt, alii sensu proprio seu speciali rustici. Cum
priori hominum genere sc. cum seruis seu hominibus
propriis nihil nobis est negotii. Sed de rusticis, quo-
rum alii non multum supra seruos sunt, alii plane liberi.
Nemo dubitat rusticos omnes libertate gaudere, alias
perfecta, alias imperfecta. Libertas, qua gaudent rusticci
maxime eo venit, ne alterius cuiusquam quoad corpus
subiecti sint dominio. Hinc siqua est restrictio libertatis,
vt eam imperfectam dicamus, ex prediis possessionibus pen-
det. Ita sane recte sentit PÜTTERVS in *Element.*
Iur. Germ. §. 473. qui adeo affirmat *extra praedium nul-
lam amplius seruitutis notam supereesse.*

§. II.

Quod ad rusticos plane liberos attinet, sine du-
bio ii sunt, qui praedium aliquod possident, quod ab
omni nexu dominico liberatum est, vt propterea neque
census



census, neque operae a Domino quoquam exigi quaeant, quales fundi plerumque Freyhöfe vel etiam Sattelfreye Güter dicuntur, de quibus apud STRUBEN in *Obseruat. Iur. et Histor. Germ. Dec. cap. X.* et quorum exempla passim occurunt, quale apud KLINGNERVM im Dorf- und Bauern-Recht, Vol. I. p. 376. Absque dubio et ea, quae in pagis Germaniae immediatis sunt praedia, plane liberum reddunt eius possessorem, de quibus TENICHE N von Reichsdörfern und Reichsfreien Leuten. Sicuti itaque libertas immunitasque a censu operisque, non a persona ipsa rustici pender, qui praeter fundum subditus est territorialis, sed a qualitate fundi, facilissimum erit eam iam decidere quaestionem, vtrum prae sumtio libertatis in genere admittenda sit pro rusticō, an vero liberationem probare debeat.

§. III.

Qualitas fundorum rusticorum absque dubio originaria a seruilibus glebis capienda. Evidem concedo, multa forsitan rusticorum praedia existere hodie, quae quondam nunquam seruilia fuere, vel ne quidem eo tempore exstructa, quo seruitus adhuc antiqua existeret. Sed hoc parum efficit, quippe non de qualitate originaria singuli fundi rusticī indiuidui agitur, sed qualia antea fuerint praedia, cum primum rustica efficerentur. Quae enim posthac exstructa, imitatione magis eandem naturam se cuta,



cuta, quamquam seruilem glebae conditionem nunquam habuerint. Videtur mihi aequa inanis esse obiectio, ac ea, quam quidam de originaria libera rusticorum conditio faciunt. Egregie quidem **R I C C I V S** in *Spicileg. iur. Germ. p. 134.* ostendere laborat, non omnes rusticos esse originis seruili, quod forsitan rerum intelligens nemo negabit, sed nihilominus valde dubito, an quidquam exinde consequi possimus. Quot enim antiquitus serui facti, qui prius liberae imo ingenuae et nobilis originis fuerant, an propterea hos seruos factos melioris putabimus conditionis fuisse, quam qui nati fuerant serui. Sint ergo multi rusticorum liberae originis, cum a natura omnes omnino homines innata quadam libertate gaudeant, fac postea rusticu ordinu sese addixisse, an eo magis, ac quos ex seruili ordine dimiserant domini liberi, prounientur. Recte utriusque liberi erant, at vero quo ad corpus tantum. Ideone ab eo, quod ut plurimum factum, praesumtio ducatur. Cedo etiam, in antiquiori Germania libertos fuisse, qui colerent arua, quae, cum vbiique adhuc terra patens esset, nec vndiquaque occupata, sibi occupassent; quis vero dubitat, maiorem numerum fuisse seruorum, ipsumque extra nobiles ingenuosque seruorum ordinem communiter receptum. Quis vero iam neget, ordinem seruorum nouo ordinu rusticorum origines et natales dedisse, et quos deinceps vel inopia, vel alia causa ad rusticam vitam duxerit, in eas consensisse obligationes et iura, quae cum hoc ordine



dine novo simul exorta essent. Quae cum ita sint, non recte videtur negari posse, ordinem rusticum ex seruili conditione origines cepisse, recte vero negari, rusticos omnes seruilis originis suisse.

§. IV.

Iam videamus, quid de generali praesumptione sentendum, an in dubio liberae conditionis rustici habendi? Evidem memini, nonnullos pro seruitute, alias pro libertate praesumere solere. v. RICCIUM *Spicil. Iur. Germ. p. 131.* At videtur haec sententiarum diuersitas recte facileque componi posse. Nam verissimum quidem est, natura omnes liberos enasci, et, si ex philosophia vniuersali decidatur, nunquam seruum nasci, quod docuit BESACK diff. *de seruorum sobole libera.* Sed iam respiciendum est ad eam, quae ex germanorum rationibus ciuilibus communis opinio in dubio habebatur. Hominem ad nullam viuendi conditionem relatum, nec cuidam certo viuendi genere adsociatum in dubio liberum censuisse maiores largior, quae tamen nec omnium constans opinio fuerat, quod vel Wildfangiatus docet, vel antiqua incolarum ad litora maris Baltici consuetudo, qua e naufragio vel soli vel cum opibus suis seruati, teste ALBERTO STADENSI ad A. 112. serui habebantur, cuius adhuc forsitan reliqua mansit in iure, quod vocant *das Strand-Recht.* At ex vitae genere quenquam inde distincte



distin^cte liberum iudicasse, cum praeter ingenuos et nobiles alium liberorum ordinem ignorarent, qui vitam hisce ordinibus conuenientem haud ageret, equidem non video. Iam applicemus ad rusticos, Vitae eorum conditio est seruilis; quamuis enim ingenui et rem agrestem tractarent, tamen id per seruos factum fuisse, constat. Generaliter ergo ipso statui germanorum conuenientius cogitabitur, in dubio illum, qui rusticam rem tractat, seruilis esse conditionis, donec vel plena vel minus plena manumissione, quae facti est, libertatem consecutum esse probet. Haec vero dein regula generalis limitationes ad prouincialium iurium rationes patitur.

§. V.

Vel enim in quibusdam prouinciis nulla hominum proprietas existit, sed potius ex antiquorum temporum rationibus imperfecte liberi rustici fuere; absurdum sane videretur in dubio rusticum seruum prae sumere. Contra si in prouincia rusticorum ordo adhuc seruilis conditionis sit, quo iure, nisi contra ea, statuere velimus, quae communis sunt iuris, rusticum tunc prae sumamus liberum. Neque alia erit sententia, si in prouincia et proprii sint homines et serui mixtim habitantes, quo casu magis est, vt pro seruili conditione prae sumamus, quam ea exceptione elidere poterit, probato manumissionis facto vel prae scriptione libertatis. Est et haec ratio prae terea.

◆ ◆ ◆

9

terea. Praesumtio libertatis, quam alit forum est ex iuris prudentia Romana. Fauor enim libertatis hoc iure, quod seruos res habet, nec vnquam ordinis aut status alicuius iura tribuit, quale quid faciunt patrii mores, maximus erat, indeque *Decemuirii* iam suis temporibus fancierant, in dubio *vindicias dandas esse secundum libertatem.* Iam quid nobis negotii in patriis moribus cum illa romana praesumptione, qui nunquam seruitutem romanam agnouimus, nec vnquam seruos solas res habuimus, sed homines habemus imo prouinciae subditos.

§. VI.

Nunc ad ipsas prediorum rationes pergimus. Diximus supra in rusticorum ordine, quae adhuc seruiles sint praestationes, quaeque impersec̄tam efficiunt rusticorum libertatem, solo praedio inhaerere. Imo probavit STRVBEN *Obseruat. Iur. et Hist. Germ. cap. VIII.* mortuum, quod verae seruitutis personalis alias onus esse soleat, tamen inter rusticos reale, hoc est, quod a praedio praestandum sit, esse. Quod si itaque ratione census et operarum dubia litigiosaque oriatur causa, quod vel exigat dominus censum et operas, vel neget praestare vtrumque rusticus, quid in dubio sentiendum, an pro rustici libertate, an pro domini iure praesumatur? Non hic agimus eam causam, an in operis exigendis pro determinatis, an

B

pro



pro indeterminatis sit praesumtio, qui bene scio, quod multi determinatos praelumant. Cedo si lex prouinciae aliqua id iubeat. Nego, cum vix factum aliquod praesumi possit, determinasse vero conuentione aliqua operas, facto contineatur. Sed hanc meam non faciam causam, dedi quaedam in libello *de Gasindis bodiernis necessariis ex iure des Olenstzwanges*. Saltem de quibusuis operis vel exigendis, vel praestandis sermo est.

§. VII.

Haud raro fit, ut interdum etiam capti deliciis regulae illius romanae *in dubio praesumitur liber* forsan et addita altera, quod *in dubio quilibet fundus optimus maximum* capiatur, *in dubio liberent rusticum a censu operisque praestandis, imposita domino probatione iuris et operarum et census exigendi?* Paradoxa reique natura minus conueniens videtur mihi decisio.² Non amplius rem ab originibus repetam, dixi antea plura etiam *huc facientia*. Communes rationes iam sequamur. Aiant plerumque, quando de praesumptionibus dicunt, exinde capiendam formandam esse ab eo praesumptionem, quod fit *ut plurimum*. At videamus adhibita experientia magistra, *vtrum plures dentur fundi existantque rusticci a censu operisque immunes, an vero plures, quorum est praestari ex iis censum operasque.* Sine dubio deducto ab eo quod



II

quod vt plurimum est, arguento, plerique fundi rustici obnoxii sunt praestationibus censuſ operarumque. Quapropter in dubio ſemper praefumendum erit contra rusticos, neque in dubio vñquam ratio erit, vt pro libertate rustici statuamus.

§. VIII.

Dabimus hinc applicata hac ratione ad fori vſum diuersam cauſam. Si ergo rusticus cenuſ operasque neget, aut ſe fundat in praefumtione libertatis aut in facta remiſſione concesſaque fundo immunitate. Priori themate proprie audiendus non eſt, niſi ſimul prouocet ad quaſi poſſeſſionem immunitatis, quam probare debet, quia ſemper in dubio fundi rustici operis et cenuſ obnoxii. Posteriori vero themate cum remiſſionis factum adſiſmet, neceſſe eſt, vt hoc factum probet, impoſita domino reprobaſione. Fac vero ex contraria parte rusticis negantibus operas cenuſumque dominum compelli ad confessoriam utilem contra rusticos iſtituendam; non eſt, vt, licet negatiue rustici item conteſtentur, domino imponatur neceſſitas probandi, ſibi ius eſſe operas cenuſumque exigendi; fed ſemel illa poſita praefumtione contra rusticos, ſimpliciter pro domino pronuncian- dum erit, niſi exceptiones a rusticis oppofitae, quarum probatio tunc rusticis incumbeſt. Haec vero ſecus, fi

B 2

rustici



rustici certum aliquod genus census , vel certam operarum speciem *insolidam* negent , dominus illius , vel illarum exactionem vrgens , vtique probare debet , sibi hoc census exigendi ius operarumue competere : tunc enim specie aliqua negata , non se fundant in libertate naturali rustici . Possunt esse obnoxii censui idque facili , negata aliqua insolida specie . Et sic in operis .

T A N T V M .




ULB Halle
003 719 014

3



1078





Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

Blue		Cyan		Green		Yellow		Red		Magenta		White		3/Color		Black			
------	--	------	--	-------	--	--------	--	-----	--	---------	--	-------	--	---------	--	-------	--	--	--

ECIMEN
ONTINENS
17679.
CONTROVERSVUM
DE
AESVM TIONE
IS RVSTICORVM
SV ET OPERIS
QVAM
RVM ORDINIS GRATIA
E S I D E
O HENR. BREVNING
ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
LITER. DVISBURG.
SOCIO
ORIO PETRINO
ANNO CICCI LXVII.
E DEFENDET
S FRIDERICVS
SEWALD
RESDENSI.
PSIAE
VAE LANGENHEMIAE.